

1097 tum ala rediisset, ita mutata erat belli fortuna, ut parum abeffet, quin Normani fugam respicerent: sed præsentia ducis continuo reparata est pugna. Turci aliquanto majore conatu iterum castra aggressi, quum illi, qui ad præsidium relieti erant, vim hostium sustinere non possent (erant enim castra parum, ut diximus, munita) ad unum omnes trucidassent, nisi opportunus Hugonis adventus, qui triginta equitum millia agebat, oppressis hostibus, præsidium & castra servasset. Inde recta in aciem procursum, unde tam numeroso equitatu prospecto, barbari, qui hinc inde spectantium more in procinctu steterant (nam quum telorum jactu cernerent plures ex suis, utpote inermes, quam ex Christianis, qui utique cataphracti erant, cadere, sagittis prorsus jaculisque jamdudum abstinebant) ut suis igitur auxilio essent, in equum sublato clamore decurrunt. Redintegratur itaque pugna, atque aliquanto priore illa atrocior. Prælium a prima diei hora est ad vesperam distractum: tum hostes sensim pedem referentes, in proximos montes abierunt: a nostris in Boemundi castra reditum. Postridie vero ubi primum illuxit, Hugo & Normanus in aciem pugnaturi descendunt: sed hoste nunquam viso, data est opera, ut cæforum cadavera in unum contraherentur, quæ crux in tanta strage fecit insignia. His in unum congestis, apparuit, ex hostibus duplo plures quam ex nostris cecidisse. Spoliis deinde lectis, tanta vis auri, argenti, jumentorum, omnisque barbaricæ gazæ reperta est, ut inopia, quam longi itineris difficultas fecerat, prorsus ea sit præda sublevata. Die inde una sepeliendis cadaveribus vulneribusque curandis data, biduo postquam pugnatum fuerat, consilio persequendorum hostium mota sunt castra. Cognoverant ipsi duces ex nobilibus captivis, quos in hunc sciscitandi usum per paucos servaverant, majores aliquanto, quam putarant, copias eo prælio secum conflixisse, quarum numerus supra quadringenta armatorum millia habuissent: inerant his Syri, Chaldæi, Turci, Arabes, & Mesopotami: horumque non pauci magis juvenili quodam ac temerario rerum novarum studio, quam quod aut stipendia facerent, aut cuiuspiam essent imperio astridi, castra